



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Diatribai De Primis Veteris Frisiae Apostolis, Sive
Dissertationes, quibus eoru[m] anni, actus, res,
personae, loca, tempora in eorundem actis occurrentia,
discutiuntur, illustrantur, erroresque ab ...**

Bosschaerts, Willibrord

Mechliniae, 1650

47. De bello inter Pipinum & Radbodum & Vltraiecti occupatione.
Examinatur Barlandus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10958

De bello inter Pipinum & Radbodum & Ultraiecti occupatione. Examinatur Barlandus.



Interea dum S. Willibrordus suorum conuersioni est intentus, exoritur ingens bellum inter Radbodum Frisiorum Regem & Pipinum Austrasie Ducem, infernali haud dubie odio conflatum, dum diabolus videret per amicos Dei tot animas suis faucibus eripi, & plures timeret eripiendas. In hoc bello ex voluntate Diuina fuso fugatoque Radbodo Pipinus Ultraiectum occupat anno 692, vel secundum Trithemium, Ber. Furmerium lib. 3. cap. 6. anno 693.

Summam belli breuiter perstringit Barlandus in Chronico Ducum Brabantiae, cuius verba supra dissertatione 36. dedimus. Est tamen aliquid quod in ipso sequitur examinandum. Post verba citata addit: *Hic (i. hac Ultraiecti occupatione) primum subacti sunt Phrysi, qui nunquam antea didicerant externo parere Principi.* Cuius periodi prima, falsa sunt si de vniuersis Frisij accipiantur; nam soli Ultraiectini Frisij hoc Pipini bello deuincuntur. Ceteri post multas clades Austrasie illatas demum a Carolo Martello Pipini filio sunt subiugati, Poppone eorum duce interempto.

Postrema verba (*qui nunquam antea didicerant externo parere principi*) si non falsitate, saltem difficultate non carent: a multis enim retro saeculis externo Principi paruerunt Ultraiectini Frisij. Quamquam enim iuxta distributionem Iulij Caesaris Rhenus determinator esset Galliae & Germaniae, Citeriore ripa Rheni, Galliae; vltiore, Germaniae de-

164 DE PRIMIS VETERIS FRISIÆ APOSTOLIS
 creta, ac Ultraiectū esset in Germanica, attamen Valentini-
 anus Imperator occupatum Ultraiectum asseruit imperio
 Gallorum, stetitque sub eorum Dominio etiam tempore
 Chilperici & Dagoberti primi qui ibidem sacellum S.
 Thomæ extruxit. Lege Molanum in Natall. 7. Nouem-
 bris in appendice de statu Ecclesiæ Ultraiectinæ. Horten-
 sium lib. 1. secess. Ultraiectinarum. Sub Sigeberto Austra-
 siæ Principe vel paulo post eius obitū inuaditur oppidum
 à Frisij, Radbodo vel potius patre Adgillo Dominium sibi
 per vim usurpate, quod nunc ann. 692. vel 693. Pipinus Au-
 strasiorum Dux iterum Franciæ vendicat exturbato Rad-
 bodo. Quot annis ibidem regnarint Reges Frisiæ, omnino
 incertum. Dagobertus Francorum Rex obiit anno 645.
 Sigebertus eius Filius legitur apud Hedam anno 656. (si
 modò benè tersus sit Heda, nam Sigebertum anno 654.
 obiisse tradunt graues authores) contulisse cuidam S. Ko-
 niocho Episcopium Traiectense. Quare 30. circiter aut 40.
 annis Wiltaburgum Francis fuit ereptum antequam à Pi-
 pino sollicitaretur. Ex dictis solui potest quæstio

Quo iure Pipinus Wiltaburgum Radbodo
 abstulerit tenueritque, cum illud ad Fri-
 sios pertineret, aliud regnum ab Au-
 strasia esset.



Espondetur namque, iuste Pipinum
 illud vendicasse; i. quia ab olim fuerat
 Regni Francorū à Valentiniano Impe-
 ratore assignatum: erat Imperatoris li-
 mites assignare, dubios definire: ob-
 tinuerunt rursus illud Frisij fauente
 fortuna, sed pacificam possessionem
 Franci illis minimè permiserunt, reg-
 na

naruntq; ibi Chilpericus, & Dagobertus Reges qui Ecclesijs illud ornarunt, predicatorum imposuerunt. Ante aduentum Willibrordi iteratò dominabantur Frisij & adhuc illo veniente tenebant, sed iuste nunc tandem antiquo imperio per Pipinum adijcitur. 2. Quia Radbodus infestus regno Francorū, plurima damna & pericula inferebat Frisiā Orientalem ferro & flamma depascebat: aduersarijs Austrasiæ & Franciæ confederabatur, vt Pipino à Francia vim hostilem arcere, pericula auertere, perfidos castigare, damna illata resarcire occupato Wiltaburgo fugatoque Radbodo iure licuerit. 3. Radbodus religionis Christianę pertinax hostis, Ecclesias destruebat, fidem supprimebat. Prædicatorum diuinos irridebat, impediēbat, Paganismum promovebat etiam in ditionibus Francorum; ideoque ad fidei defensionem, propagationem eum exuto Ultraiecto multatæ & potuit & debuit Pipinus.

DISSERTATIO XLVIII.

De aduentu S. Willibrordi Wiltaburgum.

CUm triumpho è Frisij reuertentem Pipinum adit S. Willibrordus propositi sui ad quod in patriam venerat exequendi gratiā. Ille eorum quos armis deuicerat animas quoque lucrari & seruare cupiens (verba sunt Barlandi) Willibrordum quem habebant ea tempora virum Sanctissimum eò misit qui clarissima Evangelici splendoris luce cacatos infidelitate populos illustraret & gentem alioqui indomitam ad veri & vniuersi Dei cultum accenderet. De eodem sic Heda: expulso autem Radbodo ex Traiecto ac citeriori Frisia circa annum 693. Willibrordus illo denuo ad prædicandum remissus proposita edicto Prouincialibus ne quis prædicantibus molestiam inferret.

W 3

Ingens